

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica XXIV. post trinit.

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

DOMINICA XXIV. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 9. v. 18. -- 26.

EXORDIUM.

CUm pia illa Ruth exiisset, ad colligendas spicas, fortuito venit in agrum Booz, invenitque gratiam apud oculos ejus, ut pueris suis mandaret, ne confunderent eam, si inter fasciculos colligeret: Ad ipsam vero dixit: Quando hora vescendi fuerit, veni huc, & comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto, Ruth 2. v. 13. 14.

Hæc est *idea crucis*. Ruth quidem proba erat, adeo pauper tamen, ut spicas colligere cogereetur, quæ tempore messis in agris relinquuntur: Ita agnoscunt pii spiritualem suam inopiam, probe scientes, quod nihil à seipshabeant. Ideo unice confidunt in Salvatore Jesu Christo, quæruntque spicas misericordiae ejus, ubi inveniri possunt, in agro ejus, qui Ecclesia est. Ibi enim inveniunt benedictionem Dei, juxta illud: Exod. 20. v. 24.

Ruth in magna gratia reputabar, quod Booz ipsi permittebat, ut cum messoribus suis cibum caperet: Ita & nos gratias agamus Deo, quod nos ad communionem Ecclesiae vocaverit, quod simus cives sanctorum & domestici Dei, Ephes. 2. v. 19. quia in sacra Eucharistia omnes de uno pane, & de uno calice participamus, 1. Cor. 10. v. 17. Nam extra Ecclesiam non est salus, Apoc. 22. v. 15.

Ruth buccellam suam in aceto intingere jubebatur, hæc veterum deliciae & obsonia fuerunt. Sic Christus cibatur nos &

corpore & animâ: sed buccellam in aceto intingere oportet nos, h. e. varias ærumnas & persecutiones sustinere cogimur, sicut Israelitis agnus Paschalis cum lactucis aggregitibus comedendus erat, Exod. 12. v. 8. Qui enim non est Crucianus, non est Christianus. Ideo unusquisque eam æquo animo suscipiat, inquit: Infirmas hæc est mea: Mutatio dexteræ excelsi, Psal. 77. v. 11.

Ruth hoc ipso in familiaritatem Booz pervenit, qui eam postea uxorem duxit: Ita si amarum crucis acetum patienter susceperimus in hoc mundo, Christus magis magisque accedet nos, ut nos ad amara ejus, Esa. 62. v. 5. ipse vero sponsus & maritus noster sit, Esa. 54. v. 5. tandem remoto aceto, facturus est nobis convivium pinguium, convivium vini defecati, convivium pinguium medullatorum, Esa. 25. v. 6. ut comedamus, bibamus & præ exultatione cordis jubilemus, Es. 65. v. 14.

In prælecta Pericope duo exempla prostant ejusmodi hominum, quibus cælestis Booz patellam cum aceto proposuit, ut buccellam suam in illo intinuerint, & particulam crucis senserint: Princeps quidem Synagogæ in filiola, quæ in flore ætatis à morte prærepta fuerat: hæmorrhousa vero in proprio suo corpore: at tamen utrinque ipsorum saluti intervenit, Hoc ipso enim ad Christum pervenerunt, quod alias vix factum esset.

Nos instituti memores, videbimus

- I. Triplicem Querelam.
- II. Triplicem Medelam.
- III. Triplicem Cautelam.

J. J.

Exegesis.

Quemadmodum ante octiduum exemplum malefactorum Præceptorum habuimus, qui discipulos suos instigarunt, ut ipsi infidiosam quæstionem proposuerint, rectumne sit censum dare Cæsari an minus? eâ spe, ut verbis impingens, aut Cæsaris offensionem incurreret, aut plebis favorem amitteret: Ita ex adverso in prælecta Pericope, de pio Præceptore audimus, qui ob defunctam filiam suam Christum accesserit, & velut obsequens discipulus, solatium & informationem ab eo petierit, & impetraverit.

Quem secuta hæmorrhousa, quæ & ipsa ad fontem gratiæ confugiens, contra sanguinis fluxum remedium invenit, simulac enim tetigit vestimentum ejus, salva facta est.

Querelam movet,

I. *Communis mors*, quæ æquo pede pulsat pauperum tabernas, Regumque turres. Hoc non à Deo est, qui creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit eum. Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum, Sap. 2. v. 23. Sic adhuc hodiè coràm eo gaudet mæror, Job. 41. v. 13. & si in ejus potestate foret, nos omnes perimeret. Verùm potestas ejus sub potestate est, adeò ligata, ut ne capillum capitis lædere nobis possit, ut Jobi historia probat.

Interea tamen ingens miseria est, in quam per tristem Protoplastorum lapsum nos Satanas conjecit, ut omnes morti obnoxii simus.

Filia Jairi duodecim modò annos habebat, tamen mors ipsi non pepercit: ita nemo diuturnam vitam sibi imaginetur; sed meminerit Creatoris sui in juventute suâ, priusquam venient dies mali, & appropinquent anni, de quibus dicat: Non mihi placent, Eccles. 12. v. 1. ubi enim in sepulchrum ventum est, nihil refert: multosne an paucos annos aliquis vixerit, Sir. 41. v. 7.

Apictoribus mors depingitur in forma sceleti, quod oculis, naso & auribus destituatur, & falcem messoriam in manu teneat. Hoc non ita capiendum est, ac si mors sit essenziale quid. Nequaquam. Sic enim à Deo foret, qui tamen, ut liber Sapientiæ memorat, mortem non fecit, Sap. 1. v. 14. sed privativum quid est: quando verò de ea, ut essentialiam habente loquimur, fit illud *ἀργύρον ἀδύς*, ut captui nostro ita consulatur. Sic etiam instar sceleti exhibetur nobis, *sine oculis*, quia non respicit personam: sed sine discrimine aufert homines, ab eo, qui utitur hyacintho, & portat coronam, usque ad eum, qui operitur lino crudo, Sir. 41. v. 4. *sine auribus*, quia non exoratur, sed sine discrimine senem, juvenem, & virginem, parvulos & mulieres interficit usque ad internecionem, Ezech. 9. v. 5. *sine naso*, quia non attendit odorem pretiosorum balsamorum, quibus te inungis, ad animi deliquium præcavendum. Quin & *nuda* exhibetur, quo innuitur, quod nemo cum interierit, lumere quicquam possit, Psal. 49. 18.

sed

sed ut nihil intulimus in mundum, ita nec quicquam auferre possumus. Ein Suchzum Grab / daant schabab / 1. Timoth. 6. vers. 7.

Quod verò falcem messoriam manu tenet, inde est, quia homo in Scripturâ floribus confertur, Psal. 103. v. 15. Quemadmodum igitur sænifeca falce suâ flores demetit, ut deinde languescant: sic & de homine verè Ecclesia canit:

Sani, valentes jam sumus,
Cras in sepulchro degimus,
Utrosa jam flores cimus,
Languescimus
Mox, in dolore vivimus.

Talem mortis imaginem semper nobis ob oculos ponamus: sicut Herodotus de Ægyptiis refert, quod in conviviis suis inter epulas, quando maximè hilares fuerint, caput mortuum imposuerint, his verbis additis: In hoc intuens bibe & oblecta te, talis post mortem futurus. Quod si igitur hi gentiles, mortem adeò studiose recordati sunt: quantò magis nos Christianos id decebit: *Qui moritur antequàm moritur, non moritur, quando moritur.* Jòhannes Comes Nassaviensis septuagenarius cubiculo suo inscripsit. Confer Joh. 5. v. 24.

II. *Acerba fors.* Hic & hæmorrhousæ mulieris, & defunctæ filiæ mentio injicitur. Talis in orbe rerum facies, ut non immeritò Siracides dicat: *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, c. 40. v. 1.* Hic febris laborat, ut Petri socrus, Matt. 8. 15. ille leprâ infectus est, ut Naëman 2. Reg. 5. v. 1. iste hydropicus est, ut ille in domo Principis Pharisæorum, Luc. 14. v. 2. alii pestilentia, ut Hiskias, Esa. 38. v. 21. alii

paralyti, ut servus Centurionis, Matth. 8. v. 6. alii aliis morbis laborant, ut vix numeraveris infirmitates, quibus homo propter peccata corripitur, Psal. 39. v. 12.

Hæc mera flagella Dei sunt, quibus Diabolus post lapsum miseris nos flagellat, hinc de Abrahamæ illa filia dicitur, quod alligaverit eam Satanas, Luc. 13. vers. 16. Cum enim Deus in initio cælum & terram creasset, ecce omnia valdè bona erant, Gen. 1. v. 31. Verùm postquam Protoplasti in peccata prolapsi fuerunt, & mors cum prodromis suis secuta fuit, ut Deus prædixerat, Gen. 2. v. 17.

Tamen Deus pro mirabili suo consilio ita ordinavit, ut Diabolus flagello hoc nos non pro lubitu lædere possit, nisi à Deo potestatem consequatur, & licet ipsi Deus permittat, tamen non obesse, sed prodesse saluti cogitur. Ad hoc enim filium flagellat, ut corrigat, Augustino dicente, Rom. 8. v. 28.

Non enim juxta merita nostra facit nobis, Psal. 103. v. 10. sed castigat nos in judicio, Jer. 30. v. 11. & quando castigavit nos, dimittit rursus, Esa. 27. v. 8. Ne igitur Diabolum respiciamus, qui nobis flagellum illud per peccata immisit: sed Deum, qui ad castigationem nostram eo utitur, ne cum mundo impio damnemur, 1. Cor. 11. v. 32. & si animam nostram in patientia custodierimus, flagello hoc nos liberabit, fidelis siquidem est, non permittens quenquam tentari, suprâ id quod potest, 1. Cor. 10. v. 3.

III. *Mundus excors,* qui Christum irridet, & omnia, quæ de resurrectione mortuorum, extremo judicio, vita æterna & pœnâ

pœnâ infernali prædicari sinit, pro fabulâ habet.

Hic audimus, quod cum Christus tibi-
cines & turbam tumultuantem recedere
jussisset, quod non mortua sit puella, sed
dormiat, ipsum deriserint.

De his illusoribus S. Petrus prædixit,
quod in novissimis diebus multi venturi
sint, dicentes: Ubi est promissio & ad-
ventus ejus? 2. Petr. 3. v. 3.

Cum Paulus Athenis coram Epicureis
& Stoicis Philosophis de mortuorum re-
surrectione differeret, pro verborum semi-
natore eum habebant, Act. 17. v. 28.

Sic Festus, Romanus Præses, Paulum
de justitiâ & castitate, & de judicio futuro
dicturum interpellabat, magnâ voce cla-
mans: Insanis Paule: Multæ te literæ ad
infamiam convertunt, Act. 26. v. 24.

Ejusmodi lycophantatum plurimi ho-
dietæus inveniuntur, qui neque resurre-
ctionem mortuorum, neque judicium, ne-
que infernum credunt: ideo incitato cursu
ad infernum in lata illa viâ feruntur, Matt.
7. v. 13. Ecclesiasten, qui de his fidei articu-
lis verba facit, in canticum oris sui vertunt,
Ezech. 33. v. 31 dicentes: Ecce, gaudium &
læticia, occidere vitulos, & jugulare arietes,
comedere carnes & bibere vinum, Esa. 22.
v. 13.

Vetum quid Christus dicit? Væ vobis,
qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis,
Luc. 6. v. 25. Contendite intrare per angu-
stam portam, Luc. 13. v. 24. aliquando, nisi
hoc fecerint, aliam cantilenam ingemina-
bunt, dicturi montibus: Cadite super nos,
& collibus, operite nos, Apoc. 6. v. 16.

Qui igitur nocet, noceat adhuc: & qui
infordibus est, fordescat adhuc: & qui

justus est, justificetur adhuc. Ecce venio
citò & merces mea mecum est, reddere
unicuique secundum opera sua, ait Serva-
tor Apoc. 22. v. 11. Ibi qui seminaverit in
carne sua, de carne & metet corruptionem;
qui autem seminaverit in Spiritu, de Spiritu
metet vitam æternam, Gal. 6. v. 8.

Seminate proinde vobis in justitiâ, vos
mei! & metite misericordiam, arate vo-
bis arationem: donec veniat, qui docebit
vos justitiam, Os. 10. v. 12. ibi exultantes
venietis, portantes manipulos vestros,
manipulos immortalitatis, manipulos An-
gelicæ claritatis, & manipulos æternæ glo-
riæ, Psal. 126. v. 6.

De Secundo.

Sequitur Medela, quæ fuit
I. Ex Christi obsequio, quo Principem
Synagogæ profecutus est. Non enim du-
ris verbis ipsi respondet, ut Regulo, Joh. 4.
v. 48. sed ad preces ejus continuo surgit &
sequitur eum.

Coram mundo Præceptores qui Scho-
lis præsunt, in parva autoritate sunt, & va-
riis sæpè ignominiosis epithetis, qualia sunt
Schulsuchs / Kalmeusser / Blackschmeis-
ser &c. insigniuntur, sicut & pueri Bethu-
lienses Prophetæ Eliseo illudebant, dicen-
tes: Adscende calve, adscende calve! 2.
Reg. 2. v. 24. 25.

Verum Christus multò aliter erga eos
affectus est, & ubi functioni suæ, in quâ ab
illo collocati sunt, fideliter præfuerint, ma-
jora illis concediturus est, dicens: Euge
bone serve! Matth. 25. v. 23.

Scholæ seminaria Reip. & officinæ pie-
tatis sunt, sine quibus neque Respublica
neque

neque Ecclesia florere & propagari posset. Malè enim vivitur, si Deo non benè creditur, ut Augustinus dixit. Hic Timotheus doctus est sacras literas, 2. Tim. 3. v. 15. hinc Paulus eruditus accuratè in paternâ lege, Act. 22. v. 3.

Non igitur contemnendi, non in inopiâ relinquendi sunt Scholarum Præceptores, in labore sancto illi occupati sunt, qui valdè Deo placet. Pueri enim ipsi grati sunt, è quorum ore perfecit sibi robur, Psal. 8. v. 3.

II. *Ex mortis titulo.* Puella enim, ait Servator, non mortua est, sed dormit. Hic stylus est curiæ divini, ita loquitur Deus de habitu fidelium suorum; dormies cum patribus tuis, ait Nathan ad Davidem, 2. Sam. 7. v. 12. & defuncto illo dicebatur de eo: Dormivit David cum patribus suis, & sepultus est. Vide Dan. 12. v. 2. Joh. 11. v. 11. Act. 7. v. 60. & passim.

Verùm hoc cum grano salis intelligendum. Non mors somnus est *ex seipso*, quomodo oculis corporalibus inspicitur: sed potius *σοβρωὴ σοβρωτάτη*, ut Aristoteles eam appellat; stipendium peccati, Rom. 6. v. 23. ultimus inimicus, 1. Cor. 15. v. 26. amara mors, Sir. 41. v. 1.

Non somnus est *peccatoribus*, qui sine pœnitentiâ discedunt, Dominus enim juravit in ira sua, quod non introituri sint in requiem suam, Psal. 95. v. ult.

Non somnus est, *quod animam concernit*, ut nonnulli olim delirarunt, qui animas defunctorum peculiari loco asservari, ubi Deum non videant, sed usque ad diem novissimum dormiant, somniarunt. Piorum enim animæ portantur ab Angelis in sinum

Abrahæ, ubi dulcissimo solatio reficiuntur, Luc. 16. v. 25.

Sed *de corpore* id intelligitur, quod in sepulchro quiescit, & die ultimo virtute Resurrectionis Christi resuscitabitur, quando nimirum Dominus in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo, 1. Thess. 4. v. 16.

Sicut igitur *naturalis somnus medicamentum fatigationis* est, ut Augustino dicitur, quâ membra defessa vicissim reficiuntur: Eodem modo mors pios in dulce refrigerium perfert, ubi laboribus vocationis soluti, Luc. 2. v. 29. non amplius temporarium curam agunt, sed in manu Dei conclusi, Sap. 3. v. 1. requiescunt à laboribus suis, Apoc. 14. v. 13.

Demus verò operam, ut verâ fide Christo adhærescamus, quamdiu in hoc mundo vivimus, juxta admonitionem ejus vigilantes & orantes, ne in tentationem incidamus, Matth. 26. v. 41. Ut enim veteres dixerunt: Sciendum est, illos solos dormire post mortem, qui dum viverent, vigilarunt, h. e. qui cum prudentibus virginibus lampades suas exornarunt, iisque Christum sponsum cum desiderio præstolati sunt, Matth. 25. v. 7. hoc modo mors minimè pertimescenda est. Justus enim in morte quoque sperat, Prov. 14. v. 32.

III. *Ex resurrectionis miraculo.* Postquam enim tibicines cum turba expulerat, assumptis Petro, & Johanne & Jacobo, ut & parentibus puellæ, tenuit manum puellæ, & ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum: Puella, tibi dico, surge, ut Marcus testatur. Et confestim surrexit puella, quam restituit parentibus suis.

Die ultimo similiter omnes qui in pul-

f s s

vere

vere terræ dormiunt, & requiescunt, manus sua miraculosa vivificabit, ut vivamus in conspectu ejus, Ose. 6. v. 2.

Recordamini igitur manus hujus præpotentis, vos mei; quando liberi, conjuges amici & cognati, morte temporali aliquantò marcius ex hac vitâ præcipiuntur. Non illi verè obierunt, sed requiescunt, manus Christi custodit ossa illorum, Psal. 34. v. 21. manus Christi quoque eosdem resuscitabit die extrema, & animam cum corpore ad eò arcè redunibit, ut indissolubiles victuri sint in æternum, 1. Theff. 4. v. 17.

Exultemus hinc ex animo, & optimi! Propter peccata omnibus nobis moriendum; Verùm mors non est interitus, sed qui morte nos avocet, aliquando quoque clamabit: Revertimini filii hominum, Psal. 90. v. 4. Mors enim per Christum aculeum suum amisit, 1. Cor. 15. v. 55. nec nos in sepulchro retinere valet, ut nec Balthæna Jonam, Jon. 2. v. 11. sed promover nos potius ad vitam immortalem, ut terrestre hoc habitaculum deponamus, 2. Cor. 5. v. 1. & in corporibus clarificatis prodeamus, splendentes ut splendor firmamenti, Dan. 12. v. 3. & tanquam Sol in Regno Patris, Matth. 13. v. 43.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur Regulis, ut sunt

I. *Ad Christum tende.* Id docent nos Jairus & hæmorrhousa exemplo suo, qui rectè ad Christum properant, qui hæcenus multa signa in ægrotis fecerat, tanquam ad magistrum salvationum, ut appellatur, Esa. 63. v. 1.

Idem & nos faciamus,

Pagani tot Deos coluerunt, ut Plinius scribat: Major cælitum populus, quàm hominum: idè multi fuerunt, qui singulis diebus alium Deum invocarent, ut si unus fortè non juvaret, alter succurreret. Verùm ut Dii vani erant, sic & auxilium erat vanum, quod cæci illi homines se apud illos inventurum putarunt, sicut Hecuba apud Euripidem eos ignavos opitulatores vocare non dubitavit. In Scripturâ ex contentu vocantur Gelulim stercora, 1. Reg. 15. v. 12. Elilim vani, Levit. 10. v. 4. Tzirim, errores, qui conscientias tranquillare non possint, Esa. 45. v. 16.

In Papatu sancti demortui invocantur, quorum quatuordecim constituerunt, ad quos tanquam ad sacram anchoram confugiunt, neglecto Deo, qui tamen operatur salutem in medio terræ, Psal. 74. v. 12.

Multi ad sagas & ineantatrices confugiunt, & ab ipsis benedictionem, omnibus herbis & medicamentis salubriorem expectant, Sir. 38. v. 4.

Alii iniquo animo ferunt crucem, maxime si diutius illa duret, cum Turno dicentes:

- - - Vos ò mihi manes
Este boni, quoniam Superis aversa
voluntas.

Hoc meritò improbandum, adeoque fugiendum est. Potius veri Christiani ad eum se recipiant, præ cuius multitudine fortitudinis & roboris, virtutisque ejus, neque unum deficit, Esa. 40. v. 26. qui & ad eò benevolus est, ut nullum ad se venientem ejiciat foràs, Joh. 6. v. 37.

Nul-

Nullis hinc Jairus & hæmorrhousa utuntur mediatoribus, qui pro se intercedant, sed rectâ ad Christum pergunt, qui unicus est Mediator Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. in cujus nomine omnia, quæcunque petierimus, impetrabimus, Joh. 16. v. 23. etsi enim justus judex est, Psal. 7. v. 12. ita tamen justitiâ suam, cum misericordiâ temperavit, ut altera manu vulneret & percutiat, altera medeatur & sanet, Job. 5. v. 17.

Similiter Filius Dei in Scripturis nobis proponitur primò, tanquam Leo de tribu Judâ Apoc. 5. v. 5. deindè tanquam agnus mansuetus, Esa. 53. v. 7. Joh. 1. v. 29.

Quid dicam de Deo Spiritu sancto, qui in Festo Pentecostes super Apostolos effusus in flamma ignis, Act. 2. v. 3. Antea verò in Jordane, ubi Christus baptismum susceperat, in forma columbæ se manifestaverat? Matth. 3. v. 16.

Hoc animum nobis addat, ut in ærumnis constituti rectâ ad illum properemus, qui percussit nos? non dubitantes, quin exauditurus nos sit, si hora adventarit. Quia non repellet in sempiternum Dominus, Thren. 3. v. 33. Job. 5. v. 19.

Qui verò ad alios conferent se, multiplicabunt molestos labores suos, Psal. 16. v. 4. nec modò non accipient, Jac. 4. v. 3. sed & magis magisque in exitium demergentur, donec tandem ruant in lacum, ardentem sulphure & igne, quæ mors est secunda, Apoc. 21. v. 8.

II. *Media adhibe.* De hæmorrhousa enim memoratur, quod fluxu sanguinis laboraverit annis duodecim, & in Medicos omnem suam substantiam erogaverit, ut Lucas recenset, c. 8. v. 44. Sive ut Marcus scribit: Fuerat multa perpeffa, à compluribus Medicis, & erogaverat omnia sua, nec

quicquam profecerat, sed magis deterius habebat: donec Christum accessit, & tetigit vestimentum ejus, tum audivit vocem lætabilem: Confide filia; fides tua te salvam fecit, & salva facta est ex illa hora.

Quod media illa ordinaria adhibuerit, in eo non aberravit. Melior enim est bona valetudo omni auro: & corpus validum, quàm census immensus, Sir. 30. v. 15. tum & Medicum & Medicinam Dominus creavit, & vult, ut honoretur propter necessitatem, Sir. 38. v. 1.

Nos si fortè morbis à Deo corripimur, ad exemplum hujus mulieris adhibeamus

I. *Media spiritualia:* Ut fimbriam vestimenti Christi tangamus, non modò verbum ejus devotè audientes, sed & sacra Cœna ad fidei confirmationem fruentes. Hæc enim tunica ejus est, qua se operuit. Tangamus & nos, verba sunt Chrylostomi, fimbriâ vestimenti ejus, imò verò totum. Nam si volumus, non solùm vestis, sed corpus ipsius nobis propositum est, non ut tangamus solummodò, sed ut comedamus, & saturemur. Non hic opus est, ut Romam proficiscamur, & tunicâ Christi ibi quæramus. Minimè. Propè est verbum, hoc est verbum fidei, quod prædicamus, Rom. 10. v. 8.

Corporalis Christi tunica nò amplius est in rerum naturâ, super quâ sortem miserunt milites, Joh. 19. v. 24. & licet superesset, nihil tamen illa conferret, virtus enim illa, qua mulier salvata est, non à tunica, sed à Christo ipso exiit, ut Evangelista dilucidè memorat. Quod quidem fides ejus effecit. Iccirò & reliqui, qui in stipatione hanc Christum tetigerunt, hujus virtutis non compotes evaserunt, sicut hodiè tenus quoque multum templum frequentât, sed pauci, quia

sine fide sunt, emendantur. Tangit Christus, fides paucorum, premit eum turba multorum, ait Augustinus.

Videamus igitur ne ex curiositate vel hypocrisis templum frequentemus, sed cor credens afferamus, quod fructus Christiano homine dignos producit, μήποτε παρρησιάζομεν, ne fortè præterfluamus, Hebr. 3. v. 1.

Quodsi Christum à fronte accedere non possumus, ut Jairus & alii, qui firmâ fide præditi sunt, à tergo eum accedamus cum muliercula hâc, nam posteriora mea videbis, ait Dominus, Exod. 23. v. 23. Per fidem ambulamus, non per speciem, 2. Cor. 5. v. 7.

Quodsi non omnia retinere possumus ex concionibus, ut Christum in medio apprehendamus, sicut Jacobus cum eo luctans, Gen. 32. v. 26. fimbriam ejus modò attingamus, h. e. dictum unum vel alterum memoremus, interea Dominus, si mens nobis sana fuerit, cum simplicitate nostrâ contentus erit, eamque majoris faciet, quàm scientiam illorum, qui in eâ magnoperè sibi placent, & voluntatem ejus non faciunt, Eph. 3. v. 19.

2. *Medicamenta corporalia.* Licet enim homo determinatos dies habeat, juxtâ terminum sibi à Deo constitutum, Job. 14. v. 5. nemo tamen novit diem mortis suæ, Gen. 27. v. 3.

Sicut igitur magna stoliditas foret, si quis panem haberet, & nollet illo vesci, ratus, quod Deus & absque pane se conservare posset, ut Moisen in monte Sinai, Exod. 34. v. 28. Ita æque stultum esset, medicinam paratam non adhibere, si eâ instructus sis. Non enim tentabis Deum

XXX. Binking in itinerar. N. T. p. 16. addit, hanc historiam in leg. ap. Sopomeni et tubi-
Nicophoti; addit in loca, no. facta ea hoc
Casarea Philippi; addit porro hanc circumstantiam
quod hæc ha. illa nullam habebit virtutem, quia ad eam albidinē & succreverit, ut fimbriam
Nathia & bingeret; addit demum, hanc Nathiam stetit ultra 300. annos, pp. 499. ad tempus
sibian; Apollonia, & illam de jure & illis loca, Nam ipsa Nathiam erigi curavit, & a. igne calcata

tuum, Deut. 6. v. 16. Qui amat periculum, peribit in eo, Sir. 3. v. 27.

Sed & hoc notandum, ne terrenis mediis nimium intentus sis, & confidas: sed initium à pœnitentia facias, ut Siracides optimè consulit, Sir. 38. v. 9.

Tandem non Medico modò merces persolvenda, & impensa restituendæ sunt, Exod. 21. v. 19. sed & ante omnia Deo gratiæ agendæ, qui medicinæ benedixit, & hoc modò morbum profligavit, Sir. 33. v. 7.

De hæmorrhousa scribit Eusebius, quod in memoriam miraculosæ hujus sanationis duas columnas erigi curaverit: Altera repræsentavit imaginem Christi, altera mulierculam, genibus ad pedes Christi devolutam, utraque ætæ fusa fuit. Sed & miraculo insignis fuit lapis, in quo Christi simulacrum stetit. Anniversariè enim ex eo herba aliàs non visa enata est, quæ si fimbriam vestimenti Christi tetigit, ad varia morborum genera profliganda utiliter adhiberi potuit. † † †

Sic neque nos gratiarum actionis obliviscamur, sed quæcunque vovimus, reddamus salutem Domini, Jon. 2. v. 10. maximè vita piâ, Deoque placenti. In hoc clarificatus est Pater meus, ut fructum plurimum adferatis, ait Servator, Joh. 15. v. 8.

III. *Tubicines expelle.* Hoc Christum fuisse legimus, in prælecta Pericope. Quæ horum tubicinum ratio fuerit, de eo nihil in Scripturâ exstat, siquidem tempore Patriarcharum hic mos non vixit. Probabile est, quod à gentilium abusibus mutatum, tempore Macabæorum per summos Pontifices introductum fuerit, 2. Macc. 4. v. 11. seqq. Illi enim ejusmodi

tubicines ha-
lagubribus
tenebantur

trices suas
mentio fit.

Verum
cines ferent

& expellit il-

Diabolu-

ali, qui so-

non record

coacupisce

in diem viv

sedus cum

pectum, E

Hic &

expellamur

memoran

non pecca

Non fu

er alecte

nostram

thusalem

illimus,

hemofilli

—

DON

C

no. Clau

quis: A

tubicines habebant qui carminibus suis lugubribus presentes ad luctum incitare renebantur: habebant quoque lamentatrices suas, hæc fini ordinatas, quarum mentio fit, Jer. 9. v. 17.

Verùm Christus hos mortuorum tubicines ferre non potest, ideò dicit: Secedite, & expellit illos ex ædibus.

Diabolus adhuc hodiè tubicines suos alit, qui sonitu suo multos infatuant, ut non recordentur mortalitatem suam, ut concupiscentiis terrenis se dedant, atque in diem vivant, non secus ac si percusserint fœdus cum morte, & cum inferno fecerint pactum, Esa. 28. v. 15.

Hic & nos mortuorum hos tubicines expellamus, ne seducamur ab ipsis, semper memorantes novissima, & in æternum non peccabimus, Sir. 7. v. 40.

Non fugit nos, omnes nos mortalitati consecratos esse: Abel primus fuit, reliqui mortalium omnes ipsum secuti sunt, Methusalem annis gravissimus, Samson fortissimus, Salomo sapientissimus, Absolon formosissimus, Afahel velocissimus, Chri-

stus sanctissimus ipse non potuit à morte immunis esse: exceptis Enocho & Eliâ, qui veluti Candidati æternitatis vivi in cœlum abrepti sunt, & societatem habent cum Patre & Filio, 1. Joh. 1. v. 3. De cæteris omnibus dicitur: Terram geris, terram teris, & in terram reverteris, Gen. 3. v. 19. Despiciamus proindè mortuorum tubicines, quando Epicureorum cantilenam canunt: Venite, & fruamur bonis, quæ sunt, Sap. 2. v. 6. finis enim infelicissimus sequitur: Transi enim mundus & concupiscentia ejus, 1. Joh. 2. v. 17.

Præparemus nos potius ad mortem singulis horis & momentis, sic non est quod mortem exhorrescamus, sed potius cum Simeone lætabundi dicere poterimus: Nunc dimittis servum tuum in pace, Luc. 2. v. 29.

Claudimus cum Ecclesia:
Amen Deus sanctissime,
Fac oppetamus nos pie,
Fac Regna singuli tua
Cœlestia,
Colamus hinc in secula.

DOMINICA XXV. POST TRINIT.

Evangelium Matth. 24. v. 15 -- 28.

EXORDIUM.

CUm Noa, Præco illè justitiæ, vineam plantasset, & vino temulentus in tentorio suo nudus jaceret, illusus est à filio minimo natu Cham, cui propterea maledixit, inquietus: Maledictus puer Canaan: servus

servorum erit fratribus suis, Genes. 9. v. 20. 26.

Deus est, Vos mei! qui vineam fecit in cornu filio olei, quam sepovit, lapidibus construxit, consevitque vitibus nobilissimis & præstantissimis. Esa. 5. v. 1. 2. quâ
lss 3 intel-